



1713, 6
DISSERTATIO INAUGURALIS IVRIDICA, ⁶449
DE

RENVNCIATIONE
APPELLATIONIS
ALIORVMVE REMEDIORVM
CONTRA SENTENTIAM,

QVAM
SVB PRAESIDIO
DN. IOANNIS PHILIPPI STREITII,
ICTI,
EMINENTISS. PRINCIPIS ELECTORIS MOGVNTINI CONSIL. REGIMINIS,
IVRIDICAE FACVLTATIS DECANI, AC VNIVERSITATIS P. T.
PRORECTORIS MAGNIFICI, ETC.

PRO LICENTIA
SYMOS IN VTROVQE IVRE HONORES DOCTORALIA
MORE MAIORVM CAPESSENDI,
IN ELECTORALI VNIVERSITATE ERFORDIENSI
PVBLICAE ERVDITORVM DISQVISITIONI EXPOSVIT
ANTONIVS CHRISTIANVS ITTER,
MOENO-FRANCOVRTENSIS.
DIE XV. APRILIS A. MDCCXIII.



NVNC, OB MATERIAE IN PRAXI FORI FREQVENTIAM, RECVSÆ.

IENAE,
EX OFFICINA HELLERIANA, 1752.

DISSECTATIO DE NOVARIIS JURIDICIS
DE
RENOVATIONE
APPELLATIONIS
ALIORUM REMEDIORUM
CONTRA SENTENTIAM

AVGVSTVS
DE
DR. JOHANNES PHILIPPUS REITZELIUS

PRÆSENTIUM RECTORI UNIVERSITATIS
ALMAE MATRIE WÜRZBURGENSIS

PRO DOCTORIA
CANDIDATI IN IURIS DOCTORIS DOCTORALIA

IN RECTORIA UNIVERSITATIS
WÜRZBURGENSIS

ANNO DOMINI CHRISTIANI MDCCLXXII
MENSE APRILII



IN C. DE MATRIAE & PATRI FOR. UNIVERSITATIS WÜRZBURGENSIS

EX OFFICINA RELIGIOSA WÜRZBURGENSIS
L. E. M. A. P.





I. N. D. N. I. C.

DISSERTATIO INAUGURALIS IVRIDICA,

DE

RENUNCIATIONE
APPELLATIONIS ETC.

§. I.



um per sententiam publicatam, qua
litis hactenus agitata decisio est, pri-
ma Processus finiatur Instantia; In-
cautorum notam non immerito incurrunt, qui ju-
sto tempore, si se gravatos sentiant, non delibe-
rant: quo remedio sententiam ab effectu Rei ju-
dicatae suspendere, atque gravamen illatum tolle-

A 2

re

re possint. Sicut enim, eo adhibito, in superiori Instantia, in causa plenius cognosci, non deducta deduci, atque non probata probari, *L. Per banc 4. C. de Tempor. Appellat.* adeoque sententia ipsa facile reformari possit; Ita eo omisso, sententia vires rei iudicata nanciscens, parti in tantum obest, ut vix contra ipsam postea audiatur, vid. tamen integra doctrina *C. de res. in integr. contra rem iudicat.* Verum namque est dicterium Juridicum: *Res Judicata ex albo nigrum, ex nigro album, ex vero falsum, & ex falso verum efficit.*

§. II.

Quemadmodum vero ejusmodi insignia beneficia, v. gr. Appellationis, Nullitatis, Restitutio- nis in integrum, ac Revisionis, in favorem partium sunt introducta, quamvis hoc ultimum non effectu suspensivo, sed saltem devolutivo gaudeat, *Blum. Proc. Cam. Tit. 79. num. 19.* unica saltem causa Religionis excepta. *R. I. de A. 1654.* Ita sua sponte consequitur: Cuiuslibet licitum esse, vel illis plane non uti, vel prima fronte adhibitis, praesuppositis tamen praesupponendis, postea renunciare, *arg. L. pen. C. de Pact.* de qua Renunciatione praesenti in Dissertatione pro temporis, intra quam sum coarctatus, penuria, brevibus sum tractaturus.

§. III.

§. III.

Per *Renunciationem* itaque intelligo hic Actum, per quem is, qui facultatem circa res suas disponendi habet, se declarat: quod jure in favorem ipsius introducto, cujus sufficientem habet cognitionem, uti nolit, germ. *Begebung, Verzicht.*

§. IV.

Facultatem disponendi circa res suas in *Renunciante* propterea desidero, quia *Renunciatio* sine omni dubio juris amissionem, atque sic quasi alienationem inducit; quæ tamen nemini, nisi illimitato rerum suarum arbitrio, competit. arg. §. 2. *Inst. Quib. alien. lic. vel non.*

§. V.

Notanter quoque *Renunciationem ad jus in favorem renunciantis introductum* restrinxi, eo quod nemo juri tertio competenti, vel in favorem publicam introducto, renunciare valeant. arg. *L. pen. C. de Pact.* Hoc enim est, quod dicitur: filium familias Senatui Consulto Macedoniano, cum effectu, renunciare non posse, etiamsi de jure Canonico juraverit. *Christinæ. Vol. 3. dec. 35. n. 10.* Vid. *Enckel. de privil. parent. & liber. priv. 12. c. 3. n. 5.* in tantum, ut in conscientia quoque *tenetur sit Enckel. d. Cap. 3. num. ult.* Vid. tamen

Stryk. *de For. Conscient. cap. 8. num. 64. & in Caut. Contract. Sect. 2. c. 1. §. 15. in fin.* Huc quoque spectat: quod Transactio super causa controversa ex ultimis voluntatibus, quorum tenor nondum est cognitus, non valeat. *L. 6. ff. de Transact.* etiam si quis huic dispositioni renunciaverit. Nullam enim Renunciationem contra jus prohibitivum subsistere, recte docet Stryk. ad Lauterb. *tit. de Transact. Voc. Renunciare possunt.* quamvis, si juramentum tali Renunciationi accesserit, illam de Jure Canonico stringere, nemo negabit. *arg. Cap. quamvis de Jurejur. in 6to.* Neque ex eodem principio renuntiatio patris de non-revocanda donatione liberis supervenientibus præjudicat, quo minus hæc quærela in officiosa donationis agere possint, si legitimam non habeant, cum in præjudicium legitimæ nulla valeat patris Renuntiatio. Vid. Stryk. *de facto defuncti ab herede non præstando cap. 2. num. 40. seqq.*

§. VI.

Cognitionem porro juris renunciandi renunciantem habere, necesse est; Cum notissimi Juris sit: *Juri ignorato neminem renunciare posse.* Carpzov. *P. 2. C. 16. def. 19. num. 3.* Hinc, ne foemina, & Cito Vellejano renuncians, ad hanc Exceptionem referat:

refugiat, ut sit sufficienter de hoc beneficio edocta & certiorata, communiter & consultius requiritur, Mev. ad Jus Lubec. *L. 1. tit. 5. art. 7. num. 120.* quamvis hæc certioratio jure nostro præcise nulli exigatur. Si tamen quis, cui jus ignorare non permillum, e. gr. foemina, miles, rusticus, pupillus &c. dum jus renunciandum ignorat, peritiores, cum possit, non consulat, habet, quod lux negligentia imputet.

§. VII.

Ex modo dictis jam quilibet statim colliget, quid per Renunciationem Appellationis, aliorumve Remediorum contra sententiam, intelligam; Talem scilicet actum, per quem quis se declarat, quod remedio Appellationis, aliisve contra sententiam, uti nolit, germ. *Die Appellation wiederum fallen lassen, oder derselben sich begeben.* Appellationis autem Terminus cuilibet, etiam ineruditis, est obvius; Hinc ut parcam tempori, in hujus examine non ero prolixior. Per alia vero, quorum in Rubrica mentionem feci, contra sententiam, Remedia: Querelam Nullitatis, Leutationem, Restitutionem in integrum, Supplicationem, & Revisionem Actorum intelligo, de quibus ut & de eorum fatalibus & effectibus egregia perspicuitate videam.

videatur Stryk, in *Introduct. ad Prax. in integro*,
cap. XXIII.

§. VIII.

Hæc Renunciatio Appellationis aliorum-
ve Remediorum in multiplici est differentia. Alia
enim expressa, alia tacita; alia generalis, alia spe-
cialis, alia jurata, alia non jurata est, atque alia in-
troducendorum, alia introductorum Remedio-
rum, & quæ sunt divisiones reliquæ. De quarum
usu Practico ex infra dicendis constabit pluribus.

§. IX.

Cum vero Renunciatio Appellationis alio-
rumve Remediorum contra sententiam amissio-
nem juris involvat, & sic singulare renunciante præ-
judicium afferat; sua sponte fluit: Procuratoris,
nisi speciali mandato muniti, renunciationem à ju-
dice non attendi, nec Principali præjudicare, etiam-
si alias Procurator sufficientissimo mandato ad
causam instructus sit, siquidem hoc non ad abdi-
candam vel tollendam litem, sed ad ipsam profes-
quendam, datum intelligitur. *L. Mandato Co. ff. de*
Procurat. ibique Barthol. Pro speciali tamen man-
dato haberi quoque literas ad Procuratorem scri-
ptas, ut Renunciationem Appellationis faciat, ita
ut

ut & illis exhibitis ab adverſa parte recognitis, Renunciatio ſit valida, docet *Mev. P. 6. dec. 99.*

§. X.

Neque foemina Saxonica, neque minor vel pupillus absque Curatoris conſenſu & Tutoris auctoritate renunciare Appellationi poterint, utpote libera de juribus ſuis diſponendi poteſtate deſtituti. Imo, ſi impubes vel minor cum Curatore renunciaverint, reſtitutione in integrum, iſtis ſtatim ſuccurritur, ita quidem, ut læſionem ex ejuſmodi renunciatione reſultantem nequidem probare debeant, jura enim omni renunciationi in eſſe læſionem non poſſunt non præſumere, Brunnem. ad *Wefenb. tit. de Minor. qu. 25.* Quod in foemina Curatorem habente, aliter ſe habet, cum hoc enim ſi renunciaverit, niſi minor ſit, poſtea reſtitutura in integrum, non auditur; haec enim non ut minorennis, ſed ut majorennis conſiderari poteſt.

§. XI.

Modus autem renunciandi Remediis ſententiæ impugnaviſ variuſ eſt. Aliuſ expreſſuſ, aliuſ tacituſ. Uterque tamen unum eundemque habet effectum, prout late declarat *Scaccia in Tr. de appellat. qu. 17. limit. 2. per tot.* Expreſſe renunciatur, quando pars nominatim ad acta fatetur: Se

B

nolle

egro
ut
um.
Alia
ſpe
a in
dio
rum
us.
lio
tio
ora
oris,
aju
am
ad
odi
ole
E. de
an
cri
ita
ut

nolle remediis uti contra sententiam, sive illud fiat ab initio litis per modum compromissi, ad abbreviandos Processus, sive post sententiam; sive ante interpositam vel introductam Appellationem, sive post illam; quo ultimo casu: 10 renuciare Appellationi proprie germanico exprimitur idioma: Die ergriffene Appellation wiederum fallen lassen.

§. XII.

Nullum tamen dubium est, quin super ejusmodi Renunciatione Appellationis interpositæ vel introductæ, antequam admittatur, adversa pars prius audienda sit; cum de uno quoque negotio presentibus omnibus, quos causa contingit, judicari oporteat. *L. 47. ff. de Re judic.* idque propter jus adversæ quoque parti ex Appellatione, tanquam communi utrique parti beneficio, *Gail. L. 1. Obs. 122. n. 3.* quaesitum. Secus tamen esset, si Appellatus v. g. ipse Appellationem impugnasset, illamque propter Exceptionem, vel deficientium formalium, vel materialium, non admitti petisset. Hoc enim casu, si appellans sponte ab Appellatione desistit, Appellatus propter deficientem interesse, non habet, de quo ratione renunciationis conqueri potest; cum nemo possit juvari ex illo, quem

quem ipse impugnavit, actu. Idem quoque ob-
 tinet in casu, quo Appellatus, vel ipse, vel ejus Pro-
 curator, in Appellationem vel expresse, vel tacite,
 v. g. per silentium, quod in actibus judicialibus pro
 consensu habetur, Wesenb. in *Paratitl. Cod. tit. de*
Confessis n. fin. consentit, eamque sic approbat;
 Nam quomodo quis adversus id, quod semel ap-
 probavit, venire potest? *Cap. Quod semel de R. I.*
in 6. Idem est, si ipsius Appellati plane non inter-
 sit, Appellationi renunciatum esse. Quis enim e-
 jusmodi in casibus dubitaret, Appellationis Re-
 nunciationem statim à Judice recipiendam, etiam
 si Appellatus desuper non auditus fuerit, quæ omnia
 erudite exhibet *Mev. P. 6. Dec. 191. per tot.*

§. XIII.

Sicut porro Appellans, ita quoque Appella-
 tus expresse Appellationi renunciare potest, idque
 invito Appellante *Gail. L. 1. Obs. 186. per tot.* quod
 fit: si articulum seu gravamen, propter quod ex
 adverso appellatum est, remittit, ut saltem prote-
 lationem processus avertat, quod loco Cautelæ
 Appellato svadet *Dn. Stryk. in Introduct. ad Prax.*
Cap. 23. §. 13. in casu scil. quo super puncto, ali-
 quod gravamen quidem continente, sed causæ
 principalis Decisionem directo non tangente, ap-
 pella-

pellatum est; cum sic processus appellationis statim tollatur, & causa principalis continuetur.

§. XIV.

Quod autem dixi: invito appellante, appellatum articulo, super quo appellatum, atque sic appellationi renunciare posse, hoc quidem procedit regulariter, per citatum locum ex Gailio *L. 1. Obs. 136.* ubi rationem & praxin Camerae exponit. Attamen casus evenire possunt, in quibus locus tenetur habet, v. g. si articulus ille non concernit solum appellati favorem, ideo cum non ille solus, sed alterius etiam favor subest, aliud omnino erit. Vel etiam, quando aliud aliquod praesudicium appellanti inde existit, de quo videre licet exemplum & Praxin Camerae apud Klok. *in Conf. 187. n. 13. & seqq. Vol. 1.* In his itaque casibus appellato appellatione renunciante, Judici ante omnia incumbit, ut, communicata prius petitionis copia, exploret, an etiam appellans consentiat, utpote quo invito ejusmodi renunciatio sic fieri nequit. Vid. elegantissime *Mev. P. 2. Dec. 351.*

§. XV.

Tacite vero renunciasse quis censetur remediis sententiam impugnativis, quando appellans talem actum committit, qui sententiae est conformis,



mis, appellationi vero contrarius. *Mev. P. 2. Dec. 178. num. 2.* Notanter vero dixi quando appellans talem actum *committit*; Nam secus est *in patientia*, quando saltem appellans aliquamdiu patitur id, quod sententia injungit, etsi antea in possessione appellatus non fuerit; siquidem per solam patientiam appellationi non renunciatur, ex ratione differentiae: quod ex sola patientia non ita manifestus sit consensus atque ex factis, quae mentem apertius declarant. Idem *Mev. c. l. num. 3.* Actus quoque ab Appellante commissus, Appellationi debet esse contrarius, ut haberi possit pro renunciatorio. Si enim sit cum Appellatione compatibilis, renunciationem neutiquam inducit. *Dec. in Cap. Sollicitudinem n. 13. X. de Appellat.*

§. XVI.

Sic, ut exemplis dicta illustrem, quamvis Appellans adversario, v. gr. pastum pecoris permittat, quem sententia, a qua appellatum fuit, concesserat; hac tamen patientia pro actu appellationis renunciatorio eo minus haberi potest, quocertius, appellantem *patiendō* nihil revera egisse, ex quo manifestus consensus de abdicanda appellatione colligi queat. Magnum enim est discrimen inter actus, qui consistunt & sonant in facere, & qui



in pati, inquit Gabriel *Commun. Concl. L. 1. tit. de Appellat. Concl. 2. limit. 9. num. 23.* Hinc, cum appellatus propter ejusmodi patientiam appellanti exceptionem Renunciatae Appellationis opponeret, ideoque causam ad judicem remitti petebat, recte hæc exceptio à summo Tribunali Wis-mariensi fuit rejecta, apud *Mev. P. 2. Dec. 178.*

§. XVII.

Neque reditus ad judicem à quo pro removendo gravamine non habet quicquam renunciationis. *Lancellott. de Attentat. P. 2. c. 12. ampl. 2. num. 11.* Ejusmodi enim petitio, pro gravaminis revocatione impetranda, cum ipsa Appellatione est compatibilis, cum ad eundem finem, ad quem collimat Appellatio, tendat, adeoque huic non possit esse derogatoria. *Gabriel Commun. Concl. L. 2. Tit. de Appellat. Concl. 2. limit. 3. num. 14.* Frustra contrarium statuente *Dn. Stryk. §. XII. Cap. XXIII. in Introd. ad Prax.* Nimis enim generaliter pro Cautela ibidem commendat Appellanti: ne ullum actum coram judice gravante ulterius in illa causa suscipiat; quasi omnis aditus ad Judicem à quo appellationi esset renunciatorius; Cum tamen ex pluribus causis fieri possit, ut Appellanti ad judicem alia ratione, alioque quam re-nun-

nunciandi appellationi animo, recurrere opus sit; quod & ipse Vir Celeberrimus agnoscit, dum ex Mevio *P. 2. Dec. 76. in fin. dicti §. XII.* statuit. Quod appellans per solam implorationem judicis gravantis pro conservanda possessione non censeatur Appellationi renunciasse. Ita quoque pro concordia & compositione amicabili impetranda frequentissimum est, judicem à quo adire & illuc facienda rogare, sine præjudicio appellationis. Gabriel. *d. Concl. 2. lim. 6. num. 20.*

§. XVIII.

Sed an censeatur appellationi tacite renunciatum, per petitam apud judicem à quo restitutionem in integrum? Videndum erit: an in eadem causa, & contra eandem sententiam, an vero contra alios actus & adversus alias personas petatur? Posteriori casu neququam renunciasse censeatur Appellans Appellationi propter petitam coram judice à quo restitutionem in integrum; cum non sit absurdum, ut diversæ causæ apud diversos ventilentur judices, alias etiam notum sit: causas atque personas diversas, etsi eadem quæstio sit, discriminare forum *L. Si cum vero 22. ff. de Except. Rei judic.* Priori vero casu de renunciatione appellationis non est dubitandum, cum coram eodem

dem iudice possit quidem cumulari, aut ad eundem finem conjungi Appellatio & restitutio in integrum; *L. 1. §. 4. ff. quod Legat.* At non apud diversos simul utrumque remedium agitari. Adversarius quoque cogi non potest, ut de eadem re & causa simul apud diversos iudices litiget. *L. 1. §. 2. ff. ut ad eund. iudic.* Vid. *Mev. P. 2. Dec. 64.*

§. XIX.

Pari ratione Appellans toties censetur Appellationi renunciasse, quoties (1) pro iudice gravante circa causam agit & petit, quod erat jurisdictionis superioris, ad quam devoluta fuit causa, & in qua (2) per appellationem iudici à quo alias fuerunt ligata manus. Utrumque hoc requiritur, nec alterum sufficit. Nam si vel maxime actus aliquis à iudice inferiore petitus, sit jurisdictionis quoque iudicis superioris, non tamen iudici inferiori sint ligata manus, ne desuper pronunciet, salva Appellatione à iudice inferiore, ut hic desuper decernat, peti potest, v. g. ut iudex pendente Appellatione inhibendo provideat, ne, ut in præcedenti §. dictum, in possessione Appellans turbetur; vel ut attentatum tum suum, tum alterius revocet. Vid. late Scaecia *de Appell. qu. 17. lim. 2. num. 53.* At si v. gr. à sententiâ, in qua Appellanti probatio injun-

ctâ,

ta, appellaverit, postea vero coram inferiore vi-
gore sententiæ ab hoc lata documenta ad recogno-
scendum vel testes ad examinandum producat, il-
losque citari curet, sine dubio appellationi renun-
ciavit; dum fecit id coram iudice gravante, de quo
ipsius manus per appellationem erant ligata. Vid.
Mey. P. 1. Dec. 248.

§. XX.

Effectus Renuneratorum Remediorum con-
tra sententiam pro diversitate circumstantiarum
varii sunt. Inter quos primarius: quod Renun-
cians, ad Remedia renunciata recurrens, repella-
tur: *Mey. P. 2. Dec. 99. num. 1.* Ad Jura enim re-
nunciata non datur regressus, *Carpzov. P. 2. C. 17.*
Def. 17. num. 4. Si quis tamen ante sententiam ad
coarctandum Processum appellationi renunciavit,
tunc demum illa postmodum excluditur, nec im-
pugnationi illi locus relinquitur, quando ipsa re-
nunciatio respicit *ad sententiam ejusque vim*, ut scil.
ex voluntate partium sententia, qualiscunque sit,
corroboretur, & isti stari & obtemperari debeat,
nisi forte notorie nulla sit, ut vires rei judicatae nun-
quam assumere possit; cum frustra quis vereatur
sententiam, quæ nulla juris ratione subnixa est. *L.*
2. C. de Pæn. Aliud tamen obtinet, si renunciatio
C
tantum

tantur referatur ad Executionem, scil. quod non
 intenta Appellatione rejectisque aliis remediis pro-
 nunciatum exequi oporteat. Hoc enim casu, non
 obstante renunciatione, integrum est renunciati :
 Remediis impugnativis utendi. Ratio est, quod
 sic non tam ipsa appellatio censeatur esse abdicata,
 quam potius, ipsa non obistente, executio per-
 missa ; Atque sic admittuntur quidem remedia,
 sed absque effectu suspensivo. Huic enim tantum,
 non remediis ipsis renunciatum creditur ; præfer-
 tim, quod renunciatio tanquam stricti juris, stri-
 ctissime sit interpretanda, in hac Appellationis po-
 tissimum materia, tanquam remedio maxime fa-
 vorabili, pro quo semper capitur in dubio illa in-
 terpretatio, ut salva sit. Bald. *Conf. 213. Vol. 4.*

§. XXI.

Sunt porro existimantes, ne quidem pro-
 rogatione partium post interpositam & introductam
 Appellationem fieri posse, ut de causa in inferiori
 iudicio cognoscatur, quos allegat Mynsinger. *Obs.*
79. Sed sicut recte hujus doctrinæ, utpote textu
 & ratione destituta, falsitatem demonstravit Me-
 vius *P. 2. Dec. 352. num. 2.* cum non appareat, cur
 non utrique parti liceat, abdicata appellatione,
 redire ad iudicem, cujus tantum suspensa, non pe-
 nitus

nitus extincta erat jurisdictione, in simul litigantibus
 & transigere & pacisci & Jurisdictionem proroga-
 re? Ita ex Renunciatione Appellationis utrinque
 factæ quoque hic resultat effectus: quod scilicet cau-
 sa ad judicem à quo ad ulteriorem progressum re-
 mitti debeat. Notanter autem addidi: Ex Re-
 nunciatione *utrinque* facta; Si enim Appellatus
 renunciet gravamini & articulo, super quo fuit ap-
 pellatum, causa ad priorem judicem remitti neutri-
 quam potest, nisi parte quoque appellante omni-
 modo consentiente. Pars enim semel gravata, ad
 judicem gravantem, qui semper gravare præsumi-
 tur, redire nullatenus cogi, nec judex à quo, post-
 quam semel causa ad superiorem legitime devolu-
 ta, sine hujus remissione, judicare potest. Gail. L.
 1. *Obs. 31. n. 3.* Quamvis enim facta renunciatio-
 ne appellatio desinat, quoad punctum in illa con-
 troversum, ex abdicatione illius, pro quo judica-
 tum fuit; Neutrquam tamen extinguitur, quoad
 effectum devolutivum & suspensivum, ex quo Ap-
 pellanti jus est quæsitum, quod appellati renuncia-
 tione auferri non potest. Hinc si appellans ad in-
 feriores rursus vocatus, exceptione litispenden-
 tiæ ejus declinabit Jurisdictionem, sicut id fecit ap-
 pellando. *Cap. Si à Judice de Appellat. in 6.*

§. XXII.

Multo minus causa ad iudicem à quo remittenda post Renunciatam ab Appellante appellacionem invito Appellato, cui hic legitime adhaesit, propter jus Appellato ex adhaesione quasitum, quod ipsi invito non est auferendum, Scacc. *dict. tr. qu. 17. lim. 2. n. 75.* quo minus à lite decedere, & coram superiore instantia jus prosequendi amittere debeat. Vid. *Mev. P. 5. Dec. 86.* & *Styck. in Intro. ad Praxin. Cap. XXIII. §. XX.*

§. XXIII.

An vero renuncians appellacioni in expensas retardatae litis condemnandus sit? quæritur; Hic interesse puto, an renunciatio ante elapsum appellandi tempus, an postea facta sit. Priori casu ad expensas ne ex ullo quidem capite tenebitur, tanquam qui in leges non peccavit, nec, renunciando appellacioni, jure suo usus, temerarie litem protraxit. *arg. L. 77. ff. de Judic.* si vero post lapsum fatale renunciatio sequatur, appellans in expensas, si quas fecit, appellato utrique tenetur, *C. Interposita. §. ille denique in fin. ibique Dd. de Appellat.* Præsumitur enim tali in casu, frivola appellacionis conscius appellasse, ut saltem litem ad tempus suspendere valeat. Imo non injuste nonnullis locis appellans

lans ejusmodi in casu mulcta afficitur, prout clare fundatum in Ordinat. Judicii Moguntino Erfordienſis Tit. XX. §. 8. ubi is, qui de *appellatione* prosequenda semel se declaravit, postea tamen ab illa desistit, 6. thaleros mulctæ nomine fisco solvere tenetur, *in verbis*: Geschähe es aber, daß *Appellanti* sich zwar gegen die Gerichte erkläret, die *Appellation* zu prosequiren, dennoch aber solche nachgehends nicht fortsetzete, und durch solche Erklärung nur Zeit zu gewinnen gesucht, soll solcher *Appellant* deshalb in 6. Rthlr. Straffe verfallen seyn.

§. XXIV.

Cum vero ejusmodi condemnatio in expensas saltem propter præsumptam injustam litem, quam *Appellans* contra conscientiam *appellando* protrahere voluit, sequatur; sua sponte fuit: cessare ipsam toties, quoties non frivole & injuste, sed ex probabili ratione *appellatum* fuisse constat; Cum nihil absurdius sit, quam condemnare non temerarium, sed ex probabili causa litigantem in Expensas, contra claram dispositionem. L. 77. ff. de *Judic.* Imo ne tunc quidem *Appellans* in Expensas condemnandus, quando ab *Appellato* specialiter non sunt petita, cum iudex officium suum

non nisi imploratus impertiri soleat. L. 4. §. 8. ff. de
damno in festo. Vid. *Mev. P. 6. Dec. 192.*

§. XXV.

Appellationis Renunciatio sine omni dubio
 hunc sub se trahit effectum, ut sententia, à qua vires
 nanciscatur rei judicatæ. Si scilicet *appellans* jure,
 nec sub conditione renunciavit. Posteriori enim
 casu, nisi renunciatio per existentiam conditionis
 fuerit purificata, rei judicatæ exceptio postea *ap-
 pellanti* ne utiquam obstat, sed res in eo statu est, at-
 que si renunciatio facta non fuisset, donec confite-
 rit, præstitum seu adimpletum, quod in conditio-
 ne est. Sic e. gr. si in prima sententia pronuncia-
 tum esset super eo, quod debitum petitum sit liqui-
 dum, ab hac sententia sit *appellatum*, *appellationi*
 vero sub ea conditione, si condemnati liquidatio
 mutua admitteretur, renunciatum; Tunc si dicta
 liquidatio quidem prolata, sed rejecta, via *appel-
 lationem* prosequendi non obstante facta renuncia-
 tione *appellanti* præclusa non est, cum conditio,
 sub qua renunciatum, adimpleta non fuerit, & sic
 ne quicquam inesse ponere valeat. Alius itaque
 effectus puræ, alius conditionatæ remanet renuncia-
 tioni.

§. XXVI.

Non idem quoque effectus Renunciationis

Reme-

Remediorum generalis, ac specialis. Siquidem generalis non *Appellationem* solum, sed & reliqua contra sententiam excludit Remedia, quamvis non specialiter in individuo recensita; At specialis remouet ea, quæ sunt expressa & singulatim enarrata, reliquis renunciati saluis manentibus. Sic si renunciaverit pars *Appellationi*, remedio nullitatis uti non prohibetur. Diversa enim est causa quarrelæ, & diversa sunt remedia *Appellationis* & Nullitatis, ideo unius remedii per renunciationem partis, vel pactum facta remotio non tollit alterum, Gvid. Papæ *Singul. 634.* Cum Renunciationes strictissimi juris sint, ultra expressa extensionem respicientes, *Mev. P. 2. Dec. 64. n. 3.* sed quoad verba præcise observandæ, *Id. P. 1. Dec. 99. n. 3.* Hinc Praxis fori servat, in causis & casibus, quando *appellari* nequit, tamen de Nullitate querelam admitti, uti de causis Matrimonialibus & Criminalibus ex observantia Camerae Imperialis aperte constat, tradente Rudingero *in Pandect. Cameral. L. 1. Tit. 33.* adeo, ut deserta vel remota licet *Appellatione*, tamen ratione Nullitatis citationes decernantur & impententur. Vid. *Mynsing. Obs. 91. num. 6.*

§. XXVII.


Quod autem de Renunciatione Remediorum
gene-

generali asserui, quod sc. effectu cunctorum contra
sententiam beneficiorum exclusivo gaudeat, hoc
merito ad Renunciationem generalem, quam J Cti
subalternam vocant, restringo; quando nempe Re-
nunciationis verba quidem sunt generalia, omni-
modum tamen ad speciem respectum habent, ita, ut
certo appareat, Renunciantem voluisse indubitato
renunciare omnibus remedijs contra sententiam.
Vid. Thoming. Dec. 1. per tot. ubi ex professio de mo-
do & vigeneralium Renunciationum differit. Ge-
neralis enim Renunciatio tantum operatur, quan-
tum specialis, ubi constat de sensu & voluntate re-
nunciantium, seu quod non aliud, quam de ea cogi-
taverint. *L. Sub prætectu ibique Bartbol. C. de Transact.*
quod fit, non solum, si dixerit: *Renuncio Appellati-
oni, alijsve Remedijs contra sententiam*: Sed etiam, si as-
serat in genere: *Renuncio omnibus Remedijs contra senten-
tiam*. In ejusmodi enim terminis concepta Renun-
ciatio proprie non generalis est, quia speciei certæ
animo certo ad finem certum, quem instrumentum
exprimit, applicatur, quo spectat Dd. assertio: Clau-
sula generalis, certæ speciei applicata, specialis fit.
Aliter vero sese res habet, de Renunciatione genera-
lissima, indefinitis, generalissimis, adeoque indiscre-
tis & obscuris verbis concepta; hanc enim nihil o-
perari, cum universa J Ctorum schola lubentissime
largior, ac eo quoque ortum suum traxisse censeo:
illam in instrumentis usitatissimam, sed à paucis re-
cte intellectam Renunciationem Exceptionis: Re-
nunciationem generalem non valere, nisi
specialis præcesserit.

T A N T V M.

Erfurt, Diss., 1713-14.

X 2386987





1713, 6
DISSERTATIO INAUGURALIS IVRIDICA, ⁶449
DE


RENVNCIATIONE
APPELLATIONIS
ALIORVMVE REMEDIORVM
CONTRA SENTENTIAM,

QVAM
SVB PRAESIDIO
DN. IOANNIS PHILIPPI STREITII,
ICTI,
EMINENTISS. PRINCIPIS ELECTORIS MOGVNTINI CONSIL. REGIMINIS,
IVRIDICAE FACVLTATIS DECANI, AC VNIVERSITATIS P. T.
PRORECTORIS MAGNIFICI, ETC.

PRO LICENTIA
SYMPOS IN VTROQVE IVRE HONORES DOCTORALIA
MORE MAIORVM CAPESSENDI,
IN ELECTORALI VNIVERSITATE ERFORDIENSI
PVBLICAE ERVDITORVM DISQVVSITIONI EXPOSVIT
ANTONIVS CHRISTIANVS ITTER,
MOENO - FRANCOVRTENSIS.
DIE XV. APRILIS A. MDCCXIII.



NVNC, OB MATERIAE IN PRAXI FORI FREQVENTIAM, RECUSA.



I E N A E,
EX OFFICINA HELLERIANA, 1752.

